



PROLVSIO

DE

PROVASALLIS EORVNDEMQVE
DISTINCTIONE

IN

NECESSARIOS ET VOLVNTARIOS

O R A T I O N I

PROFESSIONIS JVRIS ORDINARIAE

A. D. XXIX. JULII

MORE CONSVETO ADEVNDAE CAVSSA

RECITANDAE

PRAEMISSA

1797

D. CAROLO AVGUSTO GRVNDLERO

ERLANGAE
TYPIS HILPERTIANIS
CIOCC LXXXVII

PROLOGO

SC

TRADUCTION
D'ESPIONAGE

MÉMOIRES ET VOYAGES

O R A T I O N E

MONSIEUR DES SAINTS ORDINAIRES

DE LA CHAMBRE DU RÉGNE

MONSIEUR DES COMPTES DES MÉTIERS GÉNÉRAUX

DES COMMUNES DE LA CHAMBERAIS

DU PARIS

DU CITOYEN VACANTO GÉNÉRAL

PARIS

PARIS MÉTIER GÉNÉRAL

PARIS COMMUNES

Multas quidem jurisprudentiae, cum civilis *a)* tum criminalis partes *b)* philosophiae luce nostro saeculo doctrinam illustratas, in meliorem ordinem digestas, politas et firmatas esse, harum rerum peritis non modo, sed et reliquis notum est, in Themidis sacra etiam non penetrantibus. Juris autem feudalis ea est indoles atque natura, ut non tam ex principiorum philosophicorum fontibus, quam ex historiae antiquae monumentis consuetudinumque sensim introductory notitia, partium *c)* adhuc aegrotantium medela expectanda esse videatur. Hanc meam sententiam ne quis sinistre interpretetur, profiteor, me philosophiae, cuiuscunque sit, sive veteris, sive recentioris familiae conatibus non solum nihil velle detrahere, sed illius in universam jurisprudentiam

a) Quis est, qui ignoret merita Cel. NETTELBLADTI et HOFACKERI.

b) FILANGIERI, MONTESQOVII, de SODENI et de DALBERG, et quae sunt reliquorum nomina illustria.

c) SPENER de feudalis jurisprudentiae naevis, historiarum ignorantiae tribuendis. IENICHEN Thes. jur. feud. Tom. I. pag. 67.

tiam accuratius tractandam merita solere saepius celebrare, opemque, quam futuro et juris doctori et judici ferre possit, laudare et commendare. Cum vero juris feudalis constitutiones non sola rerum natura nitantur, sed plurimam partem a libera hominum voluntate, pactis conventisque pendeant; ad rerum antiquis temporibus gestarum memoriam saepius recurrendum, non autem definitionibus et distinctionibus, e doctorum ingenio natis, solummodo inhaerendum est; atque id in primis locum habet, quoties de veterum mente et sententia, de nominum explicandorum vi et vera significatione disputatio instituitur. Hujusmodi disputatio est illa de *Provassallagio*. Sunt nempe nonnulli ^{d)}, qui differentiam inter provassallum *necessarium* et *voluntarium* faciendam esse statuant, in primis eam ob causam, quod utriusque diversa quaedam officia et jura sint a doctoribus definita. Quaeritur igitur: utrum haec distinctio firmo nitatur fundamento, an supervacanea et magis ad docendi methodum, quam ad rem ipsam referenda sit? Desiderat haec quaestio, ut justo modo decidatur, vel maxime historiae lucem et consuetudinum quarun-

^{d)} ECKARDTVS in praef. §. 8. (ad SCHRÖTERI lib. theore-tisch u. prakt. Abhandlung von der Lehnsvertheilung. Berlin und Straßburg. 1789.) hanc differentiam esse fa-

ciendam statuit. Cel. SCHNAVE-BERTVS de jure feudali optime meritus in Coment. sua ad j. feud. pag. 298. discedit.

quarundam, in feudis et offerendis et recipiendis e) introductarum, brevem commemorationem. Accuratam ne provasalli quidem descriptionem formare possumus, nisi ad feudorum originem respiciamus.

Feuda, seu quod fere idem est, beneficia f) quondam ejusmodi viris conferebantur, qui habiles ad officia, sive in bello, sive in aula praestanda, fuerunt. Quia vero horum beneficiorum finis primarius is erat, ut, qui acciperet, dominum in militiam sequeretur g), Vasalli, sive evocati, sive se offerentis ad bellum capacitas, in primis in censum veniebat, et a domino dijudicanda erat. Sieuti autem in omnibus fere veterum institutis accidit, ut fluxu temporis, aliam illa paulatim formam sensim induerent; ita et in feudorum

A 2

colla-

e) *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Lehen aus den Zeiten vor der Errichtung der fränkischen Monarchie v. D. H. B. Fift, u. Leipz. 1785.* Celeb. ZEPER-NICKIVS in Miscell. ad Jurispr. feudal. Lib. I. p. 331. MVRATORI in antiqua Italiae medii aevi. Tom. I. D. XI. pag. 549.

f) Beneficia francorum eodem fere jure tenebantur quam feuda,

successione in illis introductory non materia, sed forma ipsa immutata est. MADHN in Zep. Collect. T. II. p. 9. *Versuch einer pragm. Geschichte d. Lehne.* BERTRAM in Zep. Coll. T. III. p. 41. Erlangische jurist. Litteratur für das Jahr 1784. St. IV. S. 470.

g) BÖHMERVS in comp. jur. feud. §. 16.

collatione. Cujus rei causae variae erant. Primo ⁱ⁾ forsitan loco ponenda est dominorum in vasalli five liberos, five consanguineos alios munificentia. Cum enim Vasallus, de domino bene meritus, filium forte post obitum reliquisset, propter imbecillitatem animae vel corporis inhabilem ad armiferenda; constitui poterat alius, locum tenens, (qui *provasalli* nomen poterat gerere,) usque dum Vasallus mortui filius capax esset officiis domino praestans ⁱ⁾. Aliam eamque per antiquam Provasallorum constituendorum occasionem *Clerus* praebuit ¹⁾, qui, ad feudi acquisitionem ex benignitate do-

mino.

ⁱⁱ⁾ Variae erant causae, ob quas provasallum paulatim introductum effient. Tria autem tempora sunt distinguenda, ut egregie EBERHARDVS docet (*Nachlese zur Erläuterung des Lehrechts II Nachtrag zur Erläuterung der Lehen von den Lehnsträgen, in welchen besonders die ältere und neuere Beschaffenheit angezeigt wird*).

ⁱ⁾ CONRADI de provasallis ex jure feudali germanico. Francf. et Lipl. 1735. §. 7., recte monet, non de minorenitate hoc loco sermonem esse, sed potius de eo ca-

su, si filius incapax sit propter animae aut corporis vires deficienes, tunc a voluntate domini directi dependet, num illum, sub conditione provasalli constituendi, admittere velit. J. Prov. Sax. L. I. Art. 4. I. F. Sax. C. 30. Sed si ista imbecillitas post feudi acquisitionem supervenerit, rationem feudi amittendi non continet. *Allg. Landr. f. p. Staat. I. 18. §. 55.*

ⁱⁱ⁾ Carolus magnus in Capit. A. 803. (BALVZ P. I. p. 409.) ubi sonat: Reliqui (nempe clerici), qui ad ecclesias suas remanent,

fluo.

minorum admissus, ad officia domino praestanda nec capaci-
tatem habebat, nec ut plurimum voluntatem. Quamvis
enim antiquis temporibus mos invaluisse, ut, qui sacris fa-
ciendis constituti essent, episcopi atque abbates, hac militia
sacra et ecclesiastica ad tempus reicta, armati exercitum
sequerentur, vel ipsi gererent bellum: senserunt tamen postea
ecclesiae proceres, hanc sacerdotum in milites commutatio-
nem, nec religione christianae commodam, nec ordini ecclesia-

A 3

fico

fios homines bene armatos nobis-
cum aut cum quibus iusterimus,
dirigant; quod etiam L V D O V I-
C V S jussit. In diplomate nempe
ita sonat: notum fieri cupimus,
qualiter nos ex abbatia St. Johani-
nis et St. Maximini, — — ubi
Haricho Abbas praeesse videtur,
quasdam curtes, villas et possessio-
nes, scilicet sexcentos quinquagin-
ta sex manus, ut verius compu-
tari potuit, a praefato abbe *in*
beneficium accepimus et his fideli-
bus nostris, EZZONI videlicet
Paletino Comiti et Henrico Duci
nec non Ottoni Comiti ea condi-
tione beneficiavimus, ut *quia pree-
fatus Abbas jam Senis confectus,*

commodè nobis domi militiae
que servire non poterat, ipsi et
heredes, qui haec beneficia ha-
bent, *pro eodem Abbe* suisque
successoribus Curiam Regalem pe-
tant et *in expeditionem eant:* Ab-
bas vero suisque successores *a Curia*
Regia et *ab omni expeditione* om-
nino sint liberi, nisi in Mogunti-
ensem seu Metensem aut Colonien-
sem Civitatem, *ad generale con-
cilium* aut colloquium aliqua ne-
cessitate cogente fuerint incitati. —
Conspirat jus germanicum. J. F.
S. C. 2. I. F. All. e. I. c. 3. §. I.
ZEPERNICK. An. I. F. T. I.
Obs. 18. de CRAMER Obs. jur.
univers. Obs. 361.

stico accomodatam esse. Accedit forte alia etiam causa, in ipsa Cleri illius temporis indeole et sentiendi ratione quaerenda. Episcopis enim in nummorum et omnium rerum affluentia, volupe non erat, militiae labores et pericula suscipere: jucundius illis erat, in sella episcopali sedere, edere, missas canere, dominisque feudorum persuadere, et ecclesiae et ipsis dominis fore utilius, si loco clericorum, quorum esset litterarum studiis operam dare, alios reciperent viros, ad arma gerenda idoneos. Hanc praecipuam esse contendit provasallorum constituendorum rationem F. C. CONRADI juris feudalis peritisimus in citata dissertatione. In sequenti aevo feudorum domini, a veterum consuetudine longius adhuc deflectentes, permiserunt, ut foeminis etiam aliisque personis, ad officia praestanda inhabilibus, dominium utile conferretur, provasallis idoneis in eorundem locum substitutis ^{m)}). Cum porro personarum pluralitati feuda posthaec ita traderentur, ut ex eorum coetu unus loco omnium jurandum diceret et officia feudalia praestaret ⁿ⁾), provasallorum divisiones in jure consultorum scholis ortae sunt variae. Harum natura ut accuratius perspiciatur, praemitendam esse censeo brevem et quidem generalem provasalli defi-

^{m)} Ex diplom. Carot. IV. Ao. 1367. (LÜNIG corp. jur. feud. T. I. p. 587. n. 21.) et ex jure feudal. alleman. der Man sol die Gewer han vor der Frowen und mag si wol das Gut mit rechte messen lan.

ⁿ⁾ CONRADI I. c. §.8.

definitionem. Est itaque *Provasallus* o) is, qui loco alterius, cui feudum conferendum est, societatem feudalem cum domino contrahit feudoque investitur eum in finem, ut, qui hunc substituit, plenum jus feudi habeat. Hac in Provasalli descriptione, substituens utrum sit persona habilis ad officia feudalia praestanda, an inhabilis, non est definitum. Hanc ob causam vocabulum Provasalli in sensu *latori* sumtum esse, dici poterit. Sensu autem *strictiori* si verbis expressis determinari debet, videndum est num substituens ipse habilis sit, nec ne; utrum, substitutio fiat ex legis praescripto, an ex

con-

o) Provasallus tum in sensu *latori*, tum in sensu stricto sumatur, ut recte perillust. ECKARD-TV-S monet. In definiendo provasallo Jureconsulti dissentient. Perill. BOEHMER. (in Compendio suo §. 88.) dicit: Vasallus in genere est, cui feudum constituitur. Vasallo dominium utile competere potest, vel quoad substantiam ipsam, vel quoad exercitium tantum. Si illud, est vasallus in specie sic dictus; sin hoc est provasallus, *Lehnsträger*, cui vi juris proprii competit exercitium jurium et obligationum ex feudo, alteri

constituto. Sed contra hanc definitionem potest excipi, ut provasallus etiam condominus esse possit, et non exclusus sit de dominio utili. PÜTTMANS (Elementis juris feud. §. 179.) Provasallum, eum nominat: qui loco alterius *minus* *habilis* cum domino directo societatem feudalem contrahit, feudoque eum in finem investitur, ut ipsius interventu alter plenum jus feudi habeat. Sed non semper personae inhabili constituitur provasallus, sed etiam habili ex. gr. communioni.

consensu domini et vasalli. De hac provasalli distinctione tum dicendi locus erit, cum antea differentias provasalli ab aliis personis, iisdem quodammodo similibus exposuerimus.

Differt itaque Provasallus a *procuratore* vasalli, qui tantum mittitur ad investiturae sollicitatem, loco vasalli habilis peragendam; Provasallus non ad unum constituitur negotium, sed manet, atque hoc nomine est appellandus et considerandus usque ad mortem suam, nisi alio modo Provasallagium finiatur.

Deinde differt a *mandatario* vasalli, ad aliud quoddam negotium feudale suscipiendum; differt a *substituto* ad servitium feudale domino praestandum. Provasallo enim incumbit *omnia praestare domino officia feudalia* p). Differt denique a *curatore feudi*, qui loco pupilli feudum a domino suscipit.

Pro-

p) Auctores nonnulli hujus differentiatione oblii, occasionem dedecunt controversiae super quaestionem: an pupillus, majorenitatem adeptus, investituram, quae a curatore jam sit acceptata, iterum petere teneatur? Antiquo jure in legibus germanicis hoc quidem fundatum fuit, quia tutor suo,

non pupilli nomine investituram peteret; sed hodie non aliter, ac vi observantiae specialis ad id obligatus est. KOPP. *Lehnsproben* P. I. pag. 135. SCHILTER ad jus feud. allem. c. 52. §. 3. Opinio etiam in nova Capitul. imp. art XI. §. 5. 6. reprobata est.

Provasallus enim nec vasalli ipsius, nec bonorum feudalium curam gerere debet ^{q).}

Quod tandem ad varias provasalli *species* attinet, juris feudalis doctores distinguere consueverunt vasallum *sublimem*, qui constituitur vi imperii civilis, et *simplicem*, qui constituitur vi alias cuiusdam juris; veluti vi dignitatis, cui provasallum annexum est, vel vi conventionis specialis, vel pactorum familiae, a quibus definiuntur jura' provasalli ^{r).} His itaque *praesuppositis*, quid de provasalli in necessarium et voluntarium distinctione sentiendum sit, facilius poterit declarari. Ut autem verborum controversia removeatur, de explicandis primum nominibus simus folliciti. *Necessarium* in universum in jure positivo dici potest, id, quod lege est constitutum; *voluntarium*, quod nec *praescriptum*, nec *vetitum*, sed hominum, jure quodam ^[praeditorum], arbitrio relatum est. Jam quaeritur, quid, in provasallo eligendo et constituendo, domini directi, quid vasalli judicio et voluntati liberum sit relictum?

Ad formandam autem et rite constituendam provasallorum necessariorum et voluntariorum differentiam, opus est,
ut

^{q)} BOEHMERVS princip. jur. ^{r)} d. ECKARDT. l. c. §. 9.
feud. §. 88.

ut respiciamus, cum ad *personas*, pro *quibus* constituendi, et a *quibus*, tum ad *modum*, quo constituendi sunt. Haec omnia primum ad *leges* et *consuetudinum antiquarum* regulam exigamus; postea vero sub finem hujus *commentationis*, quum de eo dicendum erit, quod in *feudorum causis arbitrio* et *voluntati dominorum et vasallorum* *subjectum* est, *consuetudines recentioribus temporibus* *receptas attingemus.*

Prima quidem provasallorum necessitas est ea, quae oriuntur ex quarundam personarum, quibus feuda conferenda essent, *incapacitate*, in ipsis legibus definita; cuius generis sunt, qui vel mentis vel corporis *vicio* laborant adeo, ut ad officia *praestanda* minus idonei *judicandi* sint. Quod si accidit, a domini quidem directi pendet arbitrio, utrum illis *succeſſionem* in *feudum* aperire, an eosdem penitus excludere velit; sed si admittitur *incapax*; permittenda etiam est provasalli *substitutio* ^{s)}. Admissio enim ad *succeſſionem* non involvit provasalli *constituendi*, quod quidam statuunt, *remissionem* ^{t)}. Hoc in *nego-*

^{s)} CONRADI l. c. §. 17.

^{t)} SCHNAUBERTVS in *Comment.* §. 90. Hoc etiam allegat CONRADI l. c. §. 26. Jure *feudali* antiquo germanico *inhabilis*, *feudum* *adquirens*, nec ad *heredes suos* id *transmittere* poterat, nec *heredes a domino* id *jure postulare*

poterant. *Inhabili* nec *judicio parium curiae* *interesse*, nec *testimonium* in *omni causa* *feudali* *dicare* *licitum* erat; quae omnia *securus* *intuitu* *habilis*, *feudum* *sibi adquirentis*. *Vetus auctor de benef.* §. 5. Sed haec differentia jure recentiori sublata est.

negotio deprehendimus necessitatem ex parte domini directi *v)*
 qui, primum ac incapacem admiserit, etiam *necessario* tenetur,
 provasallum idoneum admittere. Quare ejusmodi provasallus
 poterit dici *necessarius secundum quid*, seu *hypothetice necessarius*.
 Est igitur provasallus *hypothetice necessarius* is, qui,
 sub conditione quadam praecedente, *necessario* est constituen-
 dus. *Absolute vero necessarius* est tum, cum personis quibus-
 dam feudum nec juste denegari, nec sine provasalli inter-
 ventu legaliter conferri potest. Hoc potissimum locum habet
 in feudis, personae morali seu universitati concessis *x).* Cum

B 2 vide-

v) Si non expresse officia feuda-
 lia remiserit, aut pro illis pecu-
 niā sumserit.

rem expediturus, fundamenta tan-
 tum disputationis jaciam. Tempora
 autem distinguenda esse puto:

x) Sunt quidem, qui putent,
 universitatē in feudū succedere
 et id acquirere posse; HELFE-
 RICH in Anal. jur. feud. Zepernickii
 Tom. I. Obs. 16. sed alii aliud sta-
 tuunt. SCHNAUBERTVS Com.
 §. 94. et ECKARDTVS l. c. p.
 XIV. — Ad hanc quaestionem:
 an universitas in feudo succedere pos-
 sit? accurate tractandam, prolixo
 commentario opus esset. Br̄eviter

Antiquissimis temporibus
 ne unum quidem feudi, univer-
 sitati collati, exemplum occur-
 rit. Abhorrebat enim ejusmodi
 feudi forma ab omni cogitandi de
 feudis ratione. Nam dominus vo-
 lebat virum, quem ad militiam
 evocare et cui alia officiorum ge-
 nera injungere posset.

2) Postquam autem, feudo-
 rum copia existente, et nobilium
 multitudine in Orientem ad bel-
 lum

videlicet fieri plane nequeat, ut ab omnibus et singulis, universitatem constituentibus, officia feudalia praestentur; ex ipsa rerum natura sequitur necessitas denominandi sive unum, sive plures viros, ad haec officia exhibenda idoneos. Nec pendet a domini directi arbitrio, num velit admittere provasallos, nec ne; licet exempla adfint, ex quibus intelligitur domi-

ium Saracenis inferendum profeta, duces et principes, pecunia ad bellum gerendum necessaria deficitu, reipublicae Norimbergensi, aliisque civitatibus, fundos feudali nexus commiserant; alia formata est rerum feudalium facies. Cum, inde hoc ab tempore plures existent universitates, feuda possidentes; quaeri amplius non poterat, num illis possent feuda conferri? Quaefio igitur antea in medium prolatu: an universitas fit feudi capax? in duas dissecanda est propositiones. An universitates jure antiquo feuda possidere possint? et an universitas quaedam sine provasallo constitudo feudi fit capax? Ad duas has propositiones negative respondendum esse credo.

(PÜTTMANN Elementa juris feudalis §. 163.). Multitudo enim hominum impedit, quominus officia feudalia ita praestentur a variis, ut dominus directus e legibus et consuetudinibus postulare queat, Sed jure hodierno universitas capax censetur sub conditione constituendi provasallum. Codex nov. brand. ita disponit de hac re. A. L. R. I. 18. §. 49. *Moralische Personen, welchen Lehne verliehen werden, sind in der Regel, zur Leistung der damit verbundenen Pflichten, einen Lehnsträger zu befeiligen und schuldig.*

§. 50. *Hiervon ist der Fall ausgenommen, wenn aus dem Inhalte des Lehnsertrages, oder Lehnbriefes, oder aus der Natur der darin vorbedingten Pflichten sich*

dominum directum familias denominasse quasdam, ex quibus provasalli sint eligendi y).

Provasallorum genus *voluntarium* id est, quod nec a lege est, tanquam necessarium praescriptum, nec prohibitum, quod consuetudinibus tamen sit consentaneum. Ex quo se-

B 3 quitur,

sich ergiebt, daß lextere von allen physischen Personen, welche die moralische Person ausmachen, geleistet werden sollen.

§. 51. Eine gleiche Ausnahme findet statt, wenn erhellet, daß das Lehn von allen Dienstleistungen frey ist, und die Lehnsverneurung, dem Herkommen gemäß, nur bey Veränderungen des Lehnsherrn hat gesucht werden dürfen.

y) Quia nempe spes consolidationis fit remotior, domini directi injungebant personis moralibus constituere provasallum. In ducatu Magdeburgico semel iterumque statutum fuit, ut communiones, feudum acquisitiae, duas denominare familias teneantur, ex quibus provasallus, quicquies opus esset, con-

situatur, his vero extinctis, feudum fiat apertum. LÜNG. Tom. II. p. 973. Sed etiam exempla adfunt, ex quibus intelligitur, dominos directos universitatem ad constitendum provasallum non coegerisse. Habemus exemplum in civitate Francofurtenſi, quod Append. Num. XIII. Compendii BOEHMERI insertum est, ubi Fridricus III. Imp. civitati Francofurthanae vilam Bornheim una cum judicio in feudum largiebatur sub lege constitueri duos provasallos a. 1476. sed immutata est a. 1770. et civitati concessum, ut de feudis imperii Bornheim, Hausen et Oberrode, non constitutat provasallum. MÖSER Reichs-Staats-Handbuch auf das Jahr 1769—1775. Tom. I. pag. 93.

quitur, viros hic praesupponi, feudi suscipiendi *capaces*, a quorum voluntate pendeat, num officia feudalia velint ipsi praestare, nec ne? Prima quidem feudorum institutio postulabat, ut, qui in feudum succedendi consilium ceperit, ipse etiam, quae vasalli essent, praestaret. Sed legum feudalium est natura, ut consensu utriusque partis et domini directi et vasalli exceptionem admittant. Sicuti enim fere universum jus feudale veterum pactis et conventionibus nititur, ita et pactis mutari potest, et alia norma agendi introducta, sensim jam in locis multis commutatum est. Quid igitur, si domini directi ipsius interfit, ut a provasallo idoneo, in locum vasalli constituendo, officia vasallitica promte et accurate praestentur, quid impedit, quo minus utrique, pacto inito, convenient, ut reicta lege, hoc casu singulari provasallus eligatur idoneus, qui, cum illius constitutio in utriusque partis arbitrio posita sit, *voluntarius* nominari poterit.

Haec, quae hoc usque diximus, de *uno* valebant viro, ad officia feudalia exhibenda idoneo; jam vero in medium ponet a jureconsultis quaestio haec *z)*: *utrum plures, officiorum praestandorum capaces, si velint ipsi officiis fungi vasalliticis, cogit possint a domino directo, ut, loco omnium, unum constituant provasallum?* Addi poterit alia quaestio: *ad quodnam provasallorum genus ejusmodi sit referendus; ad necessarium, an ad voluntarium?* Pendet enim a voluntate domini; necessario autem

z) ECKARDTVS l. c.

autem constituendus esset a vasallis idoneus. Justam harum quaestionum decisionem multas et graves ob rationes necessariam esse, ipsa indicare videtur jureconsultorum, super illis litigantium, dissensio. Sunt juris feudalis doctores, eruditio- nis fama admodum celebres, qui contendant, plures si adsint vasalli, qui unum feudum indivisim possident, illos a domino directo, cogi non posse, ut provasallum constituant. Hanc sententiam defendunt BITSCHIVS *a)*, SCHNAVBERTVS *b)* et reliqui, quorum argumenta principalia breviter recensebimus.

Primum quidem provocare solent ad canonem: in rebus, ad jus feudale pertinentibus, dijudicandis, non recur- rendum esse ad germanorum consuetudines, legum vim non habentes; sed unice inherendum institutis longobardicis feu- dalibus, observantiis et pactis firmatis; ex his fontibus, non ex historia germanorum antiqua, rationes decidendi esse hau- riendas: jam vero in legibus longobardicis clare scriptum esse, plures capaces, feudum indivisum habentes, cogi non posse, ad constituendum provasallum *c)*. *Deinde*, (ita per-

a) BITSCHIVS in Com. in cons. feudorum pag. 406.

b) SCHNAVBERTVS Comment. suo. pag. 297.

c) II. Feud. 26. §. 27. Omnes filii ejus, qui feudum acquisiverint, fidelitatem facere debent, maxime si *indivisim* habent, quod si feudum ex divisione ad unum tantum per- venie-

pergunt doctores supra laudati,) parum refert, et domini directi nil interest, sive unus, sive plures Vasalli officiis feudibus fungantur. Est enim voluntati domini directi relictum, evocare ex pluribus, quem operi praestando reliquis capacorem judicet. Causa igitur, (ita pergunt,) nulla adest, ob quam domi-

venerit; ille tantum facit fidelitatem. Sed obstat Cap. extraord. tit. 77. ubi edicitur: "Cum plures fratres vasalli paternum habent feudum, donec illud indivisum possident, una fidelitas et unum servitium domino fieri debet: si vero partitum fuerit, quot partes, tot erunt fidelitates". BITSCHIVS autem l. c. respondet: Unam fidelitatem non accipiendam esse, pro unius tantum personae juramento; sed pro plurium quidem personarum jurejurando fidelitatis: ita tamen, ut non singulae separatim, sed omnes simul et conjunctim, ad fidelitatem et servitium obligatae sint. Et sic e contrario plures fidelitates dici, quando non omnes conjunctim et cumulative, sed singuli separatim partes suas in feudo possident, tum enim singuli pro

fua quisque parte jurant, et quot sunt partes, tot sunt fidelitates.

Si, quae mihi sententia se deat, dicit CONRADI l. c. §. 22. profitendum est, ut plene hi textus inter se convenient, explicari eos non posse, sed ipsos eorum autores, quod saepius et aliis locis observare licet, diversis opinionibus addictos fuisse existimo, et incertitudo quaedam in ipso textu II. F. 26. apparat. — SCHNAUBERTVS quidem noster (Comment. p. 297.) dicit II. F. 55. §. 2. nihil probat, quia capitulum extraord. est. Sed si etiam concedatur, quod nihil probet, tamen puto, etiam textum II. 26. hoc loco nihil efficiere, quia provasallagium institutum est, germanum, et leges longobardicae ad illud non applicandae sint. CONRADI §. 22.

dominus pluribus, feudum indivisim possidentibus, provasalli denominandi necessitatem imponere queat.

Contrariam sententiam defendantibus argumenta non defunt, quibus haec, hucusque breviter exposita, convincere conantur. Omnium optime perillustris ECKHARDTVS oppositarum partium rem egisse videtur in praefatione, solidae eruditionis plena, quam libro p̄raemisit: SCHRÖTER̄ theoreth. pract. Abb. von der Lehnwaare. Argumentum, quo usus est, primum, ex ipsa provasallagii indole et natura petuit. Est scilicet hoc institutum origine germanum; in Germania primum potissimum dominorum lenitate, pactis deinde et consuetudinibus sensim introductum. Ex quo sequitur, id non ex legibus longobardicis, sed ex moribus et consuetudinibus germanicis esse dijudicandum. Cardo igitur rei est positus in hoc uno, ut rationibus firmis demonstretur, provasallagium esse institutum origine germanum d). Ad hoc autem probandum, non requiritur hoc, ut demonstretur, in nulla alia gente antiquis jam temporibus, provasallorum constitutendorum consuetudinem introductam inveniri, sed ut ostendatur, germanos veteres suos mores, non leges exteris secutos esse, in juribus provasallorum definiendis. Atqui, nisi me omnia fallunt, id demonstratum est ab auctoribus harum rerum valde peri-

d) EBERHARDVS l. c.

peritis EBERHARDO e) et CONRADIO f). Ipsae leges germanorum verbis distinctis hanc rem ita definiunt, ut pro vasallorum constituendorum necessitatem pluribus vasallis, feudum indivisim possidentibus, injungant g). Rationem hu jus

e) l. c. §. 3:

f) in Disput. citat.

g) J. F. Sax. Cap. 8. et XXIX.
Der her muz wol sinen mannen mit urtheil gebieten die ein gut von ihm haben, daz sie binne sechs wochen bescheiden daz her wizze uf wem er sinen dienstes sulle sehn. ZOBELIUS ex ignorantia rei infarbit nonnulla atque de lite inter plures Vasallos compонenda hunc locum ita explicat: Daß sie sich binnen sechs Wochen ihres Irrthums am Lehn entscheiden. J. F. ALLEMAN: Cap. XVI. §. 3 et LX. §. Kayerrecht Tom. III. Cap. 30. Richtsteig Lehnrecht. Cap. 22. 23. „Sed nihil probant leges antiquae germanorum, quia jus longobardicum in subsidium rece-

ptum, si nempe leges provinciales silent. — ECKHARDTVS ad illam objectionem respondit. Sollten diese Sammlungen auch nicht einmal eine rechtliche Vermuthung wirken, so würde es um unser teutschес Lehnrecht gethan seyn. Den neuern Gebrauch dieser Lehnrechtsammlungen in diesem Stück bezeugt auch ZASIVS de feud. p. 7. rubr. ad quid vasallus teneatur. n. II. SCHILTER ad Mod. Pift. P. IV. Q. 133. n. 32. — Et si certum esset, leges Longobardorum plane non de provafallo, sed de mandatario loqui, (ECKARDTVS not. u.) et si certum esset, leges Germanorum antiquas historicum tantummodo usum habere, (SCHNAVBERTVS ipse concedit p. 52.) magis tamen ad has, quam ad illas longobardicas respiciendum esse censeo; quamquam

jus legis **C O N R A D I** ^{h)} indicavit hanc, quod majores nostri abhorruissent a bonorum feudalium divisione. Nec injuste quidem fecerunt; nam dissecandis feudis, et domino et vasallis detrimenta non exigua intulissent. Atque ex horum incommodorum consideratione, secundum oritur, quo utuntur jureconsulti ad confirmandam suam ipsorum sententiam, argumentum. Est nempe ex analogia, quae emphyteusin et feuda intercedit, derivatum. Notum enim est, plures unum feudum emphyteicum acquirentes, a domino emphyteuseos obstringi posse, ad constitendum proemphyteutam ^{i).} Jam vero a plurimis juris feudalis doctoribus conceditur, deficientibus legibus claris, in controversiis decidendis, ex emphyteuseos indole eatenus aestimandam esse feudorum naturam, quatenus ex utriusque *analogia* argumentum probabile formari possit ^{l).} Quod cur non idem fieri possit, in hac causa non intelligitur. Ceberrimus **E C K H A R D T V S** ^{m)} provocat in primis ad **L A N G I I** auctoritatem, hanc sententiam, cum in animadversioni-

C 2

bus

quam sententiam illorum non arripiam, qui in omni causa feudalibus germanicis majorem, quam longobardicis tribuendam esse auctoritatem, statuant.

ⁱ⁾ **E C K H A R D T V S** l.c. pag. 18.^{l)} **P Ü T T M A N N** Elem. j. feud. §. 41.^{m)} in not. v.^{h)} l. c.

bus ad BECKII librum ⁿ⁾ , tum loco alio ^{o)} , defendantis, pluribusque argumentis , non modo ex legibus Germanorum et consuetudinibus antiquis , sed etiam ex ipsa rei natura petitis , opinionem suam confirmantis . Variis idem auctor rationibus probare conatus est , domino directo non pauca incommoda inde oritura esse , si officia essent praestanda a pluribus . Cum igitur has ob rationes domino jus competitat, imponendi vasallis pluribus , unum feudum , non dividendum , potentibus , necessitatem provasalli denominandi ; hic *necessarii* etiam nomine insigniri poterit .

Quid huic de provasallo necessario exigendo sententiae opponi possit , non intelligo , et potius profiteor , me rationum pondere commotum esse , ut illi accederem eandemque aliquantulum firmarem atque defenderem *p).*

Non

ⁿ⁾ LANGE Anmerkungen zu BECKS Abhandlung von Nachsteuer und Handlohn Th. 2. Cap. 12. Obs. 12. C. 13. Obs. 1.

^{o)} LANGE Abh. von Zerschlagung der Bauergüther und Domänen.

^{p)} quia etiam leges particulares in eo consentiunt. Allg. Landr.

f. d. pr. Staaten, I. 18. §. 58.
Besitzen mehrere Vasallen ein Lehn; so muß einer von ihnen zur Leistung der Dienste und Pflichten im Namen aller zugelassen werden. TERRILINDEN Grundsätze des heutigen gemeinen preuß. Lehnsrechts, §. 149,
ZACHARIAE Handbuch des churfürstlichen Lehnsrechts, Leipzig 1796,
§. 48.

Non enim solum dubia adhuc sententia quibusdam videri possit, ob argumenta illi opposita, sed forte etiam inanis et utilitate carens, eam ob rationem, quod nostra aetate servitia feudalia non militia et armis ferendis, sed ut plurimum alio modo praestentur, qua re provasalli constituendi necessitas sublata sit. Haec etsi vera esse facile concedam; tamen et mihi concedendum esse puto, non omnia feuda sub conditione militiae et armorum gerendorum conferri solere. Sunt enim etiam beneficia non militaria, in quibus conferendis domini exigunt servitia honoraria et aulica et judicialia ^{q)}. Ad haec praestanda non Vasallum quemvis idoneum esse, quis est, qui non sua sponte concedat? Et quid, si vasallus unus alterve in loco, a domini curia five habitatione longe remoto, domicilium haberet fixum; si domino incommode esset, vasallum e longinquo, ad officia suscipienda, evocare; vel si in aliis cujusdam principis, five militia ^{r)}, five regimine, officio fungens, iter suscipere non posset; nonne domino, beneficium vasallis collaturo, jus competenter postulandi provasal-

C 3 lum,

^{q)} II. F. 2, §. 2. II. F. 23, §. 2.
GRVSTEN Obs. rer. et antiqu. germ. et rom. p. 355. BVDER de servitiis vasallorum zu Ehrenzügen und Ehrenfallen, in Amoenit. J. F. n. 23.

^{r)} STRVBEN *Nebenf.* tom. III. sect. 18. §. 4. CHLADENIUS de jure evoandi vasallos exteris militantes, speciatim ordinibus imp. vi territorii vindicato. Vit. 1731. R. J. 1570. §. 4.

Ium, et si legibus non esset praeceptum neque consuetudine introductum.

Praeterea hominum indoles ut plurimum esse solet ea, ut opus, quod in communione a pluribus perficiendum sit, a nullo, omni, qua decet, solertia, vigilantia, et studio perficiatur. Negligentia autem officii in uno, eodemque homine facilius observatur, quam in pluribus; unus citius ad opera praestanda potest adigi, quam si domino cum pluribus negotium sit. Domini igitur plurimum interest, quemnam habeat vasallum, si officia postulanda sunt. Haec exigendi officii difficultas etiam locum habet in feudis non militaribus. Nam gratia dominorum, et morum, temporibus recentioribus introductorum, ab antiquioribus diversitate factum est, ut in locum servitiorum militarium pecunia, a vasallo domino solvenda, subrogaretur ^{s)}). Quod si igitur ista pecuniae quan-

^{s)} Si etiam dominis directis hodie adhuc servitia equestria a vasallis exigere integrum est, et tamen vel ideo hodie rarius indicantur, quod, recepta militis perpetui consuetudine, (cujus origines quidam in Gallia an. 1445. sub regno Caroli VII. quaerunt) alia nunc, ac olim

fuit, militiae ratio est, (STRV. BEN Nebenft. l. 4.) et experientia docuit, finem propositum servitiis feudalibus equestribus vix obtineri. Non tamen vasalli hodie ideo plane immunes sunt, sed prout leges ferunt aut pacta, servitorum equestrium loco milites equis armisque

titas, in partes plures distributa, a singulis vasallis praestanda esset, nonne verendum est, ne vasalli, variis locis habitantes, domino negotium faceant? Nonne dominus melius fibi prospiciet, si ab uno provasallo pecuniae quantitatem postulare et tempore definito exigere possit?

Ex his omnibus colligitur, quaestionem de provasallo
necessario, in medium prolatam, nostro aevo non esse in-
nem,

armatis instructos mittunt, aut certam pecuniae summam solvunt (*Ritterspferdsgelder*) loco personalium servitorum feudalium. Sed quaeritur, an dominus directus illum, mutato statu militari, possit de jure poscere? *de L V D E W I G* (*Erklrung der G. B.* Tom. II. p. 1014) affirmative respondet. In Saxoniam et Borussia illud obtinet. Elector *Augustus* iussit, loco servitorum quinque flor. anno prae-
stari. Edicta d. a. 1639. 1646. et 1704. in *Cod. Aug.* T. I. pag. 2306. Tom. II. p. 1781. Quamquam in Codice Brand. nov. etiam de servitiis militarib. nonnullae leges occur-
runt, I. 18. §. 19. §. 144, tamen in multis provinciis alia ratio obtinet.
In ducatu Magd.: Assurance fr

d. Magd. Ritterschaft bey Allofication
der Lehnsgüter. Elect. j. pub. T. 15.
Lib. 10. n. 59. in Marchica: Ent-
wurf zur revidirten Lehnsconstitutio-
n. d. Berlin 1777. PÜTTMANNI
obs. j. feud. Cap. 34. Quatenus ne-
xus feudalis in terris brandenburg-
fublatus fit? Verordnung die Ent-
richtung des perpetuirlichen Lehns-
canon betreffend. 15. März 1720,
in Corp. Conft. March. lib. 2. Sect.
V. no. 68. 69. 70. Lehnsconstitution
für die Altmark &c. in Corp. C.
M. lib. II. Sect. V. n. 64. et decl.
Conft. 1. Jun. 1723. in Pomerania.
Pomerische Lehnsconst. vide SCHWE-
DER. Anmerk. über die Hinterp.
Lehnsconstit. Rostock und Wismar;
1755. 4.

nem, sed dignam, quae ventiletur, et cum ex legibus, tum in primis ex ipsa feudorum indole, accurate definiatur et decidatur.

Feudum enim beneficii habet naturam ad augenda domini directi commoda et ad conservandam vasalli securitatem. Cum igitur dominus finem sibi propositum commode assequi nequeat, nisi jus ipsi competitat, cogendi vasallos plures, ad provasallum officiis praestans eligendum idoneum; *necessitatem, constituendi provasallum ex feudi natura natam, deprehendimus.*

Efficitur porro horum argumentorum consideratione, distinctionis provasallorum in voluntarios et necessarios fundatum ex ipsa rei feudali natura et consideratione esse definitum. Si enim ex pacto praecedente ab arbitrio sive unius, sive utriusque partis penderet; provasallus electus voluntarii cognomine insigniens foret. Sed alia ratio est necessarii. Nam plures vasalli a domino non aliter, nisi sub provasalli constituendi lege et conditione ad feudi possessionem admittuntur. Hoc intelligitur ex Germaniae antiquae consuetudinibus legibusque, quae, in hac causa dijudicanda, primum pre longobardicis locum merito occupant; quod ipsi feudorum indoli maxime consentaneum esse, in antecedentibus demonstravimus. Nec obstat huic sententiae personarum,

narum; feudi collationem potentium *conditio* et *habitus*. Licet enim omnes ad servitia praestanda sint habiles, tamen non omnes pariter sunt *idonei*; ideoque his pluribus jure imponitur obligatio, ex societate eligendi unum, cui provasalli officia injungantur. Cum itaque in hoc negotio feudali non adsit provasalli constituendi necessitas respectu personarum, (quippe quarum quaevis habilis sit,) sed respectu obligacionis, quam feudi possessores futuri necessario suscipere tenentur, et respectu modi feudi conferendi, quem dominus, jure suo usurpus, tanquam necessarium definire potest; efficitur inde distinctionem provasallorum in necessarios et voluntarios posse in caussis quibusdam feudalibus non sine fructu adhiberi, in quibusdam magni esse momenti. Nec in feudorum sublimium caussis haec provasallorum distinctio omnin caret utilitate. Praelatus enim, ratione feudorum passivorum capituli est provasallus necessarius. Si hoc negotium ad juris antiqui normam exigas, praelatum, abbatem etc. provasallum appellabis *hypothetice* necessarium, secundum consuetudines recentiores *absolute* necessarium poteris nominare; quia nempe non a voluntate ac gratia domini directi pendet, an velit eum admittere. Jure nempe antiquo leges quaedam denegabant *universitati* in feudo successionem; fecus observantia hodierna. — „At enim, licitum ne illis est pro iubitu recedere, a legum constitutionibus? Nonne feuda amittent tandem veram suam naturam, si, novis quotidie consuetudinibus introductis, mutantur? „ — Haec quaestio

D

viam

viam nobis pandit ad id , quod *voluntarium* est in rebus seu.
 dalibus. Vniversi enim juris feudalismus fundamentum positum
 est in pactis et conventis veterum; in legibus exterarum gentium
 (Longobardorum) a majoribus nostris voluntarie receptis.
 Quod si itaque sapientia legislatoria praecipit, mutata tempo-
 rum et gentium conditione, commutare leges et constitutio-
 nes; sequitur, dominis et vasallis jus competere, leges anti-
 quas abrogandi novasque condendi. Veterum enim pacta
 non esse leges omni posteritati scriptas, quivis harum rerum
 aequus censor concedet, et ipsa experientia docet. Atqui in
 nulla fere juris positivi parte invenimus tot a legum et con-
 suetudinum antiquarum regulis declinationes , quot in legum
 et constitutionum feudalium collectionibus , nec tantam ,
 quantam in illis, novorum institutorum varietatem et copiam.
 Cujus rei rationes principales facile erui possent, si, ut pristinum
 Germaniae statum cum hodierno paulo accuratius conferremus,
 locus et instituti ratio permitteret ^{f)}). Alia enim nostra aetate
 sunt ut plurimum feudorum petendorum et conferendorum con-
 filia; pauciora requiruntur, vel nulla plane a vasallis officia,
 corpore suscipienda; multa praestantur pecunia, quae erant

olim

^{f)} Antiquo jure foeminae, a suc-
 cessione feudali exclusae, (I. F. 8.
 §. 2. II. F. 36. vet. auctor de benf.
 §. 4.) jam tempore Ludovici Bava-
 rici admitebantur, quod ex dipl. de an. 1317. (quod JOHAN-
 NES Spicilegio pag. 412. insert:) apparet, ubi *filias* nobiles de
 Breuberg idoneas et capaces declarat, ad tenendum feudum ,
 quo

olim a vasallis ipsis expedienda. Nec vituperandum, sed potius laudandum esse puto hunc libertatis usum. Leges enim positivae hominum, non homines legum positivarum caussa existunt. Quamvis igitur verum sit, quod monent doctores, jureconsulto et judici legibus unice inhaerendum, legibus standum esse; tamen leges nec Longobardorum, nec veterum Saxonum, feudorum dominis hodiernis eatenus datae sunt, ut ab illis ne latum quidem, quod dicunt, unguem recedere, nefas sibi ducerent. In ipsa hac de provasallis necessariis et voluntariis doctrina, et illius usu recentiori, exemplum est hujus libertatis, in juris feudalis tractatione et moderatione sapienter adhibitae. Statuta enim feudalia quaedam temporis priscis nec vasallis onerosa, nec dominis incommoda erant; nostra autem aetate utrique parti minus sunt convenientia, utrique parum utilia. Mutatis igitur rebus publicis, mutatis temporibus, novis etiam in feudis conferendis consuetudinibus lo-

D 2

cus

quo eas investivit. Homines ex civico ordine inhabiles fuerunt, (J. F. S. art. I. J. F. Allem. c. I. Vetus auct. de benef. §. 3.) recentiori aevo Imperatorum privilegiis ingenui ex civico ordine non modo in nonnullis civitatibus, sed et in integris territoriis capaces declarati sunt; ut cives Spirenses ex privilegio Ludovici bavar.

Caroli IV. a. 1315. 1347. (LÜNIG
C. J. F. tom. I. p. 1191.) cives
Mistriac et Turingiae. Cives Vien-
nae ex privilegio, quod LAM-
BERCHER in österreichischen In-
terregno litteris repetit pag. 161.
LEDDERHOSE de jure ingenuo-
rum adquirendi feuda in ZEPER-
NICKII analect. jur. feud. T. 2.
pag. 181.

eus aperiendus erat. Hanc meam sententiam ne quis sinistre intelligat, neve suspicetur, me ex eorum esse numero, qui nexus feudalem ipsa sua natura imperiis, civitatibus, civibusque esse noxiū, ideoque funditus destruendum et delendum, (quod quam periculōsum reipublicae germanorū futurū esset, nemo non videt); profiteor me iis consentire Jureconsultis, qui nexus feudalī disuadeant solutionem; qua de re illustris KLÜBER V in praefatione praemissa libro: *vom Ritterwesen des Mittelalters*, cuius auctor *de la Curne de Sainte-Palaye*, et in commentatione sua, *Geschichte der Gerichtslehn*, erudite multa et ingeniose differuit v). Quamvis enim nostris temporib⁹ politiae vigilancia poscat, ut securitas publica in singulis civitatibus pagisque conservetur; quamvis duella veterum non amplius turbent statum reipublicae, et pravorum hominum seditiones ope militis perpetui compescantur facilius et sedentur: nihilominus tamen nexus feudalī vinculum est unitatis imperantium et subjectorum, vasallis pariter atque dominis utile et necessarium, nec juribus principum et immediatorum nobilium adversum x). Non igitur tollendum, sed emendandum esse, credo, systema feudale, et nostrae aetati, nostris moribus accommodandum. Alia enim est rerum facies. Dominus olim feudum collaturus vasallum requirebat robustum, belli pericula et onera non extimescentem; quapropter imbecilles et feminas repudiabat; clericis provasalli deno-

v) pag. 10. SCHLOSSER Briefe
über d. Geizgebung. 5r Brief p. 105.

x) Vasallagium non involvit ho-
magium.

denominandi veniam dabat. Sed brachii robur et corporis
firmitas non sufficiebat, cum feudum a domino petendum
esset; equites enim generis nobilitatem, natalium splendorem
postulant a sodali. Etiam hunc sensim mitigarunt legum et
consuetudinis antiquae rigorem, civesque pecuniae copia
præ-valentes ad feudorum possessionem admiserunt. Impera-
tores pro pecunia soluta generis antiquitatem et nobilium ma-
jorum defectum supplebant; equites pro pretio definito no-
vos homines in societatem recipiebant. Rebus germaniae in
meliorem ordinem digestis, domini feuda conferebant nobili-
bus, non ad militiam evocandis, sed, sive ad aulae splendorem
augendum, sive ad judicia habenda, constitutis. Quaenam
rerum feudalium conversiones subsecutae sunt, milite perpetuo
germaniae introducto, arte militari emendata et in scientiae
formam redacta? Fruantur igitur germani libertate sua; sol-
vant vincula, quibus res feudales a majoribus constrictae
sunt. Sed caveant tamen, ne nexus omni soluto, novis rerum
omnium conversionibus mala inferant aevo futuro graviora,
quam tollere cupiunt. Maneat itaque in quibusdam caussis
provasalli etiam necessitas, et domino et vasallo perutilis.
Hac cautione et modestia in tractando jure feudali adhibita,
legum auctoritas manebit illibata; manebunt rerum feudalium
fundamenta inconclusa; Juris feudalis doctores certa tradere
poterunt scientiae suae principia, certa et ex legibus consue-
tudinibusque caussarum judicia ferre, quod fieri non posset, si
dominorum et vasallorum arbitrio omnia forent submittenda.

Sed

Sed haec hactenus de provasallis. Jam veniendum est ad id, propter quod haec commentatio scripta est. Gratiae videlicet a me sunt publice agenda Regi potentissimo, clementissimo FRIDERICO GVILLELMO, qui per splendidos hujus litterarum universitatis Curatores munus professoris juris ordinarii mihi commisit gratiosissime. Cujus beneficium in me collati magnitudinem et si intelligo, me non valere verbis exprimere atque digno modo describere; tamen me, spero, dicendo effecturum, ut intelligent auditores honoratissimi, animum meum totum esse sensu liberalitatis et munificentiae Regiae affectum et impletum. Hanc igitur grati animi testificandi et muneris adeundi caussa a me habendam orationem ut *Magnificus academie Proreector, Comites Illustrissimi, Procancellarius illustris, et reliqui Patres academie conscripti et Professores, Doctoresque litterarum cujuscunque generis celeberr.*, *Commilitones denique generis et ingenii nobilitate conspicui benevole audire non dedignari velint, summa, qua possum observantia, peto.* Hac vestra gratia atque benignitate et si pro mea in dicendo tenuitatem non penitus dignum me esse sentiam, tamen spero fore, ut propter orationis argumentum faciles mihi praebeat aures. Dicturus enim sum de legum Borussicarum aequitate et humanitate. Quae res non solum regi imperii borussici civibus, sed omnibus, qui aequitatem collunt, et humanitatem reverentur, cara esse debet et attentione haud indigna videbitur. P. P. in Vniveritate regia Friderico-Alexandrina d. xxvi. Jul. c^{lo} I^o cc xcvii

Erlangen, Diss., 1786-1818
X 242 1358



17

PROLVSIO
DE
PROVASALLIS EORVNDEMQUE
DISTINCTIONE
IN
NECESSARIOS ET VOLVNTARIOS
ORATIONI
PROFESSIONIS JVRIS ORDINARIAE
A. D. XXIX. IULII
MORE CONSVENTO ADEVNDAE CAVSSA
RECITANDAE
PRAEMISSA
1797
D. CAROLO AVGVSTO GRVNDLERO

ERLANGAE
TYPIS HILPERTIANIS
CLOCC LXXXVII